

Anvers, 10 janvier 1602.

Illuſtriss. ac Reverendiss. Roberto Bellarmino S.R.E.Card.
Aubertus Miraeus Bruxellensis S. D.

Si eo omnia reverti, unde originem duxerunt, Amplis.Card.
recte philosophi tradiderunt, ut in mare flumina recurrunt, et humo
5 editi homines in humum redeunt; certe fecisse recte videar, cum
romano coelo, ubi natus est, patronum quaesierim Theodoro Studitae:
quem olim Romae degens Ioannes Laevinius collega meus, homo doctis-
simus, hortatu Gulielmi card.Sirleti amicorumque precibus adductus
latina civitate donavit, (cum antea juvenis de Virginitate Nysse-
10 num ac Chrysostomum dedisset) destinavitque Gregorio XIII Pont.
Max.Verum enimvero hoc sacrorum antistite terris erepto, coelis-
que, ut speramus, adscripto, et Laevineio in patriam revocato ab
avunculo Laevino Torrentio Antverpiensium episcopo, ut in eadem
hac nostra canonica ecclesia resideret, factum, ut Theodori foe-
15 tum, qua erat modestia, presserit hactenus, fraudaritque eo thesau-
ro ecclesiam. Equidem cum eius bibliothecam patribus Soc.Jesu ces-
sisse intellexissem, ibique Theodori Catecheses adhuc latere, fa-
cile a sociis impetravi, mihi ad edendum permetterent, (praesertim
quod hic catechistae munere more maiorum fungar) ne labor ille Ro-
20 mae utiliter exhaustus perpetuo delitesceret. Neque vero delibe-
randum diu fuit, cuinam potissimum inscriberem. Tui enim nominis
celebritas, qui et hic in Belgio Lovanii Grudiorum docendo, lati-
neque concionando, mox etiam Controversiarum libris ad immortali-
tatem comparatis, toto terrarum orbe sic inclaruit, ut qui Bellar-
25 mini nomen ignoret, idem etiam hospes admodum in sacris litteris
evolvendis esse videatur. Accipe igitur Ampliss.Card. libens vo-
lensque Theodorum nunc primum nominis tui auspicio lucem aspicere
gestientem: cum quia è Sociorum bibliotheca profectus, Romam redi-
re satagit in eius sinum, qui Societati singulare decus attulit a
30 atque ornamentum: tum quia hanc ipsam de Sanctorum sacrarumque ima-
ginum cultu Controversiam (pro qua vincula, verbera, atque exilia

/ ginum cultu Controversiam (pro qua vincula, verbera, atque exilia
 ter, capitis denique periculum adire Theodorus non dubitarit) post
 omnes theologos accuratissime summaque methodo disputatam asse-
 5 ruisti; ut (fremant licet omnes haeretici,) quamvis tua scripta
 per partes pestilentis cathedrae ministri in Anglia, Germania, ac
 Batavia, vellicare ac refellere contendant, littus tamen arare,
 frustra que sudare passim iudicentur, non secus atque si dentem soli-
 do infigant atque infringant. Ea enim est, fuitque semper verita-
 10 tis vis, ea ecclesiae catholicae constantia, ut angulari lapidi ac
 petrae Christo inaedificata quasi quidem, aq̄t everti non possit, et
 navicula Petri iactari quidem queat, mergi non item. Portae enim
 inferorum, inquit Veritas, non praevalerunt. Quid autem hic praesti-
 tum sit, res ipsa loquetur, tuque optime iudicabis. Utilissimum sa-
 nè opus, nisi quid iudicans fallor, piorum bibliothecis, tum vero
 15 religiosorum hominum conventibus. Quod scripti genus Collationes
 postea nominarunt, quales Ioannis Cassiani et S. Ephraem, in tricli-
 niis, cum Marci, Macarii, ac Maximi sermonibus utiliter leguntur,
 ut animus pia lectione, dum corpus moderate reficitur, pascatur.
 Equidem religioni duxi, quidquam interpretis mutare, ne in alieno
 20 opere ingeniosus viderer. Grandiori quidem stylo usum video, quàm
 hodie theologi soleant, sed veterum imitatione assurgere, ut grae-
 cus ipse auctor, humoque se tollere, dictione voluit, legendo tamen
 usuque mollescet oratio. Utinam Epistolarum lib. V eiusdem Studi-
 tae, quae Romae in Vaticana, atque Ascanii card. Columnae, quae olim
 25 Sirleti bibliotheca, asservatur, vestro quoque atque illustriss.
 card. Baronii beneficio aliquando in apertum referantur. Certe eorum
 temporum historia, qua tempestate Iconomachorum vis grassata est,
 magis magisque claresceret. Theophylacti quoque Bulgarorum episcopi,
 Nili item Epistolas, et Isidori Pelusiotae octingentas de scriptu-
 30 rae locis, supra mille ducentas, à Jacobo Billio theologo doctissim-
 mo latine donatas, ibidem nimis diu iacere, frustra que efflagitari
 deplorandum. Vale praesul ampliss. nosque tuorum in numero clientum
 habe. Antverpiae, Quarto Idus Januarii, .

[B. Theodori Studitae, Abbatis et Confessoris, Sermones Catechetici
 35 CXXXIV in anni totius Festa, eiusdemque Testamentum. De Graecis Latini fac-
 ti, ac notis illustrati: a Ioanne Livinio Belga Canonico Antwerp. etc.]